

Vc  
3194





Si. 29/18.

Vc  
3194

AD  
**ACTVM ORATORIVM**

I P S O

SCHOLAE ILLVSTRIS GRIMANAE

NATALI DIE XVIII KAL. OCTOBR.

A. R. S. CIO IOCC LVI.

PER ACTIS SACRIS MATVTINIS

IN AVDITORIO MAIORE

A SEX IVVENIBVS ORATORIBVS

I N S T I T V E N D V M

E A Q V A PAR EST HUMANITATE

I N V I T A T

D E

EVIDENTIBVS CVRAE ET PROTECTIO.

NIS DIVINAE DOCUMENTIS ERGA CHRISTIA-

NVM II. PR. ELECTOREM SAXONIAE

P R A E F A T V S

M. HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS

ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR.

---

L I P S I A E  
LITTERIS BREITKOPFFIANIS  
XXIII.



ACTA MORTATORIA

1720

SCHOOLIS MORTATORIS GRAMMATICAE

MATRIDIUM XANTII KAL OCTOBR

A. R. e. C. 1720. 1000. 1000.

TERCETAS SACRAE MATUTINAE

IN VARIOLO MINOR

A. SEC VIENNAE MORTATORIA

IN LIBRARIIS IN INGENHOF

ET A VOCE MAMNITATE



LADINITIAS QVADRAGE ET PROTECTIO.

NIS DIVINITATIS DOGMA ET CHRISTI

IN HOMINIS ET ANIMALIS SENSU

UNIVERSITATIS GÖTTINGENSIS

W. HENRICUS AVAGRIAE SCHWICHERS

LIBRARIIS MODERNI EDITION

PIPIA

CITERRIS DILECTIONIBUS

XIII.



CHRISTIANVS II. Pr. El. Saxoniae, inter principes  
Saxoniae, et totius Germaniae, haud postremus cen-  
fendus est, qui *Christianissimus*, imo, *das fromme Herz*,  
appellatus, virtutum suarum gloria palmam dubiam  
ceteris reliquit. Multa sane in eo fuerunt p[re]aeclara, quae illum  
bonis admirabilem, inquis vero formidabilem, reddiderunt, ita,  
vt non minus lucis ac dignitatis maioribus suis attulisse, quam  
acepisse, videatur. Hic est, cui, post DEV[er]M, acceptum ferre  
possumus, quod Palladium purioris religionis, *Formula Concordiae*,  
sarta et tecta in his prouinciis in coetu sacro vigeat, cui omnes,  
munera publica capeſſentes, ſubſcribere tenentur.

Lucem huius mundi felici auspicio, adſpexit anno Christi  
millesimo quingentesimo octogesimo tertio, die IX. Kal. Octobris:  
Patrem natus est CHRISTIANVM I. AVGVSTI I. Pr. Elect.  
aeterna memoria dignissimi filium. Matre natus SOPHIA Bran-  
denburgica, Pr. Elect. Brandenburgensis, IO. GEORGII, filia,  
quae pietate, virtute, et dignitate ornata, post mariti obitum, an-  
nos trinta tres in arce Coldiciensi vixit vidua. Haec SOPHIA  
Serenillima, praeter ANNAM, AVGVSTI Coniugem, inter o-  
mn̄es maximam laudem ob curam erga impuberes tres filios, eo-  
ring. Tr. de  
rumque educationem meretur. Monetam excudendam curauit meritis Ele-  
t[er]um Sacrum Sa-  
hac inscriptione: *Wohl dem, der Freude an seinen Kindern erlebt.*  
Ut amorem in veram religionem comprobaret, templum *Sophiae sacram*,  
ab impuris sacris renouandum, et ornandum Dresdae iussit, et huic  
operi tria millia florenorum destinauit, altari ex marmore pretioso  
exstructo, vt cultus verus diuinus in eo haberetur, quod templum  
postea ab ea nomen obtinuit. Egregiam quoque liberalitatem erga  
Scholam illustrem Grimanam exhibuit, cui, inter alia munera, It-  
erum MARTINI CRVSI, Coronam anni, per D. Polycarpum Lyse-  
rum misit, qui liber adhuc ibi conſeruatur in bibliotheca, duobus  
voluminibus constans.

Commemorant rerum Saxoniarum probati scriptores AVGVSTO Electori, auo, nihil, ad canitiem tendenti in rebus humanis optatus, et iucundius, accidisse, quam quod nepote masculo, diuina gratia, adhuc viuus fuisse adauctus. Neque dubium est, sapientissimum hunc Principem id, quod aetatis reliquum fuit, multo suauius ex eo tempore traduxisse, et maiore demum tranquillitate naturae debitum, ex voluntate diuina, exsoluisse. Auxit eius laetitiam, quod alterum ex CHRISTIANO I. nepotem IO. GEORGIVM, procreatum etiam cerneret. Quod beneficium Dei memori grataque mente agnouit, et saepe in ore habuit verba Dauidis: *Tua sunt omnia, DEVS, quae de manu Tua accepimus.* Curavit sedulo hic insigni pietate avus, vna cum parentibus vtrumque nepotem sacris vndis lauari, vt a peccati inquinamentis mundati DEO nascerentur, eique puris mentibus per totam vitam adhaererent.

Ad literas, ineunte anno aetatis septimo, perductus, CHRISTIANVS II. feliciter progredi coepit, cum Praeceptorum esset amans, eorumque monita facile in animum admitteret suum. Hinc bene monet Fabius Quintilianus: *Viva vox plenius alit, praecipue eius Praeceptoris, quem pueri amant, et verentur, si modo recte instituti sunt.* Naturam in tribuendis animi dotibus maxime habuit fautricem, id quod exinde obseruatum fuit, eo, quod, quae a Magistris tradebantur, facile arriperet. Cumque ad naturae bonitatem, virtutis ac disciplinae sanctioris amor accederet, spem optimam, puer adhuc, praebuit, et nil nisi honestum, elegans, magnificum, tantisque natalibus dignum, de se ipso excitauit. Sicut enim fructum copiose arbor fundit, ex qua flos prius emicuit: sic matura aetate virtutis decus exspectandum ab hoc Principe fuit, salutaribus praceptis imbuто. A pietatis et verae religionis capitibus, quae Catecheticis libris continentur, illustris institutionis ducta fuerant primordia. In hac doctrina DEI cum primis auxilio opus esse intelligens, precibus vera animi religione ad DEVVM fusis, ex voto omnia succeſſerunt. Quae olim Hilarius seculi IV. Pater, cognouit, inquiens: *a Deo discendum, quod de DEO intelligendum, neque eodem ipso auctore DEVS cognoscitur,* in libro de Trinitate. Vedit et intellexit hic Princeps Serenissimus, fundamento pietatis rite posito, facile cetera superstrui posse, et sapientiae initium Domini esse timorem. Quod sacri codicis effatum loco Symboli habuit, crebrisque sermonibus usurpauit.

Pieta-

Pietatis, et verae religionis initii probe instructus, ad Latinae linguae cognitionem paulatim commotus est. Ad quam addiscendam Praeceptorum industria multum profuit, qui cum praceptis, quae emendate loquendi rationem monstrant, vsu simul coniungerunt. Sic vsu magis et exercitatione, quam praeceptionum multitudine, huius linguae facultatem adeptus est. Ab institutio-  
ne huius linguae praefectus ei fuit Sebastianus Leonhardus, lin-  
guarum peritissimus, qui cum omni fide, tum alacritate demandato munere fungebatur, ut Princeps vberiores in illustri animo,  
velut aruo fertili, faceret progressus.

Circa hoc tempus CHRISTIANVS I. pater, praeter opinionem et exspectationem, e viuis eruptus est, nondum completo aetatis anno trigesimo primo. Qui cum vitae finem instare vide-  
ret, Principem nostrum, vnam fratibus minoribus ad lectum vocari iussit, eosque dictis salutaribus cohortatus est, ut DEVVM tota mente venerarentur, verae religione, virtutisque studio, se totos traderent. Hoc modo iis praesto futurum supremum Nu-  
men, effecturumque pro sua benignitate, ut ex voto et sententia omnia coepta succederent. Manus Parenti Serenissimo, grauiter decumbenti, porrigentes filii imperata sese, obedientiae promptitudine, facturos promiserunt, quos pater, admodum infirmus, arctissime ad peccatum comprescit, non sine lacrimis adstantium. Prae-  
ceptoris praedicto magna severitate a Patre iniunctum fuit, ut vera et pura religione, e limpidissimis S. scripturae fontibus, ac Diu-  
LVTHERI libellis deponita, Principum iuniorum animos imbue-  
ret, vt in extremo die coram sanctissimo C H R I S T I tribunali ra-  
tionem bene administrati muneris intrepide reddere posset. Mo-  
rem gerens Leonhardus saluberrimis monitis, Principem fidei suae commissum, ad pietatis virtutisque decus, adiutus prudentum in aula consiliariorum consilio, sedulo instruxit. Quae omnia, et alia his consimilia animo perpendens sapientissimus Pro-Elector FRIDERICVS GVILIELMVS, ad quem Electoratus Saxoniae administratio, ex CHRISTIANI I. voluntate et iure, pertinebat, deque ingenio CHRISTIANI II. edocitus, magni nominis magna-  
que doctrinae Virum elegit, qui, ut in illustri institutione omnia recte fierent, supremus Director esset, omniaque, quae ad Principis iunioris progressus in literis, et moribus, conducerent, sua auctoritate, et prouida cura moderaretur. Fuit is IOACHI-  
MVS

*Ienifi Narr.* MVS ANDREAS SLICO, Comes in Passaun, et Weiskirchen,  
*de Christ. II.* praeclarus ortus natalibus, qui Principes tres politioris doctrinae  
*p. 16.* laude, rerumque ciuilium vsu, adauxit. In CHRISTIANI institu-  
tione praeclara fuerunt initia, vt non possent non omnes, qui  
in aula viuebant, optima sibi de eo policeri. Creuit in animo  
eius pietas, suaque cepit incrementa verae et purioris religionis  
amor, aliaque quae Principibus, in spem patriae natis, decus et  
ornamentum adiungunt. Laudatur in primis Serenissimae Matris,  
SOPHIAE, cura, assiduitas, fides, ac pium studium, vt optatos  
Princeps, vna cum duobus fratribus, caperet profectus. Princeps,  
natu secundus, IO. GEORGIVS, adultior factus, sermonem ea  
de re cum admiratione laudum matris suae habuit. Neque officio  
suo auus maternus, et Tutor praecepitus, IO. GEORGIVS, Pr.  
Elect. Brandenburgicus, defuit, qui monitis hortatique, gnauiter  
studiorum cursum Principes vt continuarent, annis est.

Subsecuta est paulo post rerum quaedam mutatio. Ex aula  
excesserunt nonnulli. Ipse ANDREAS SLICO, Comes, aliam  
vitae rationem amplexus est: Reinhardo vero, haud sine causa di-  
missio, illustris institutio aliis committenda fuit. Qua in re fide-  
lem operam nauarunt praestanti ingenio, doctrina, ac virtute Viri

*Ienifi Narr.* Sigismundus Rhölingius, iuris utriusque Doctor, et celeberrimus in  
*de Christ. II.* curia prouocationum Confiliarius, eique additus est praeclari no-  
*p. 65.* minis Theologus, D. Polycarpus Lyserus, aulae Saxon. orator sa-  
cer praecepitus. Hic Principem vera religione imbuit, monstratis  
erroribus, quibus nonnulli doctrinae veritatem conuellere molie-  
bantur. Rhölingius vero, vt et Bernhardus a Pöllniz, et Joachimus  
a Delau, Viri nobiles, humanioribus literis Principem instruc-  
torem reddiderunt, ita, vt non modo Latina intelligeret, sed animi  
sensa hac ipsa exprimere valeret. Sed postea hoc studium lingua-  
rum, ex seductione quorundam, seposuit Princeps, et subristis tan-  
dem non raro dixit: *Nunc demum confidero, quod primos annos, libe-*  
*ralium artium studiis minus recte semper impenderim.*

Compleuerat CHRISTIANVS annum aetatis XVIII. et cum  
ingenti totius Saxoniae gratulatione et voto, gubernationem Ele-  
ctoratus, mense Septembri, ann. 1601, ipso die natali suscepit, cum  
triennio ante aulae consiliis, ad Rempublicam gerendam, adhibitus  
fuiisset, resque ciuiles prudenter cognoscendas ac diiudicandas sub-  
inde esset adiuetus. FRIDERICVS. GVLIELMVS administra-  
tionem

L. Döring.  
Tr. de Elec-  
tric. Sax.  
p. 29.

tionem Electoratus in arce Dresdensi, in conuentu procerum, depositus, verba ad ordines patriae faciente *Marco Gerstenbergio*, Cancellario, et illustri Iuris utriusque Doctore, cui respondit Electoris nomine, neruose ac gnauiter *Ezias a Brandenstein*, sanctioris consilii Praefes. Iuramentum subiectionis et fidei a ciuibus Patriae, Octobri et Nouembri, mensibus, praefustum Feudum anno sequente Caesarea Maiestas Electori nouo Pragae contulit.

Aduersus *Nicolaum Crellium* aulae Saxonicae Cancellarium, annis aliquot praeteritis, a Saxoniae ordinibus iure iam disceptatum fuerat. Causae admodum intricatae cognitio ad Imperatorem Maiestatem deuoluta, cuius sententia definitiva ad Administratorem missa est. Sententiae huius vigore supplicium de *Crellio*, turbatore illo pacis et religionis, Dresdae sumtum, ad forum novum, die IX. Octobris 1601. de qua re iam ante egimus. Mulleri Ann. Sax. p. 207.

Hoc anno, et subsequente, non pauci legati Regum et Principum Dresdam venerunt, nouo Electori, de susceppta gubernatione, gratulaturi.

Comitia prouincialia, magna ordinum patriae frequentia, 1601. mense Decembri habita sunt. Actum in iis praecipue fuit, de fouenda tuendaque, et ad seros posteros transmittenda vera religione. Confirmata sunt etiam Praelatis, Academiis, Scholis, Equestri ordini, ciuitatibus, aliisque concessa a maioribus iura, immunitates, priuilegia, et multa in salutem patriae decreta, quibus Muller. Ann. p. 230. prouinciae Saxonicae adhuc gaudent.

Quia iis temporibus ab immanissimo Christiani nominis hoste haud parum periculi in Pannonia, locisque finitimis, oriebatur, Elector, CHRISTIANVS, suppetias Imperatori Romano ferre constituit, ob fidem Caesareae Maestati praestandam, et ad decus Imperii Romani, ac dignitatem tuendam, hostis vero tyrannidem retundendam, et neque sumtibus, neque militibus, neque armis, defuit. De qua amicitia celeberrimus *Schurzlejchius* scripsit: Disp. XXI. Tanta RVDOLPHI II. Caesaris et CHRISTIANI II. fuit amicitia, de Frid. Sap. et tam iucunda consuetudo, ut Ministris Hispanicis inuidiam, reliquis admirationem excitat. Cuius familiaritatis memoria, ac monumentum hodie seruatur adhuc Pragae, ac mihi constat ex commentariis auctorum RVDOLPHI II. et CHRISTIANI II. Eodem modo praeclarus *Rechenbergius*, in libro, de meritis Saxonum in Domum Austriae-P. 55. cam, ait: CHRISTIANVS II. in bello Hungarico contra Turcas tormenta

menta variū generis RVDOLPHO II. transmisit. Suppetas biennio post superaddidit, quales ante haec tempora nulli Imperatori praefitae sunt. Tanta Electoris nostri credebatur auctoritas, ut eo praesente, lites RVDOLPHI II. cum MATTHIA, Pragae dirimerentur.

In primis vero domi, atque in patria boni principis functus est officio. Constituit per prouincias Magistratus, Praefecturis Capitanos dedit, consilia salutaria praebuat, aulam fide conspicuis Ministris instruxit. Praeter haec omnia Senatum Ecclesiasticum, penes quem facultas esset, scholas illustres, Academias, et Ecclesias, conseruandi, et augendi, Dresdae primum aperuit. Hunc Senatum sacrum summum CHRISTIANVS I. Misericordiam transtulerat, hic vero CHRIST. II. Dresdam reduxit, praeside, *Iona a Quingenberg* in Auma, Viro nobili, et prudentia ornato, adiunctis Viris literis, ac vsu rerum probatissimis.

Suscepit est hoc anno de connubio contrahendo deliberatio. Missi sunt eam ob rem in Daniam, ex qua auia, ANNA, fuerat orta, praecipuae nobilitatis Viri, *Burcardus Schenck*, Liber Baro in Tautenburg, itemque natalium splendore illustris, *Elias a Brandenstein*. Despondetur Electori nostro Serenissima Princeps regia, et Domina, HEDWIGIS, FRIDERICI II. Regis Daniae filia, et foror CHRISTIANI IV. Nuptiae splendido apparatu an. 1602, mense Sept. Dresdae celebratae.

*Week. c. l.*  
p. 139.  
1602.

*Layriz.*  
*Palm. p. 584.*

Turbauit harum nuptiarum apparatum casus infelix. Hic Elector enim serenissimus cum ex arce Pirnensi Dresdam redire vellet, flammam subito, ex quorundam scelere, in naui concipiens puluis pyrius, non modo tectum navigii disiecit, sed et eos, qui simul vehebantur, corporis quibusdam partibus, ambuffit, et nonnullos vndis tradidit. Serenissimus Dux IO. GEORGIVS, frater, praesente discrimine, DEI gratia, et auxilio, adhuc liberatus est. Tertius frater, AVGVSTVS gravissimo morbo eo tempore Vitembergae decumbens, pristinae etiam valetudini, Deo adiuuante, restitutus est. Ipse tamen Elector, ex ambustione Dei benignitate, ita restitutus et curatus est, vt tenuia quaedam illapsa ignis vestigia in facie apparerent. Sic mortis periculo mirum in modum tres fratres crepti sunt. In more saepe habent summi Principes hilaritatis solemnia a flammis petere, dummodo intra mediocritatis fines res contineatur.

Scholas tres illustres, ut et Academiam Lipsiensem et Vitembergensem, missis eo, praeclarae auctoritatis, doctrinae, et sapientiae

tiae viris, inspici, recteque omnia in iis in ordinem redigi, iussit, eiusque auspiciis seculares anni, inter vota solemnia ab Academia Vitembergensi ann. 1602. die XVIII. Octobr. et a Lipsiensi 1609. mense Decembri non sine laetitiae significatione celebrantur. Interim in viuis esse desit Vinariae FRIDERICVS GVILIELMVS, Pro-Elector et Dux Saxoniae, relictis quatuor haeredibus masculis, et totidem filiabus principibus. Horum tutela ad Electorem nostrum delata est, quam ita administravit, ut omnibus bonis fidem praestaret, et vigilantis tutoris officio fungeretur.

Quemadmodum autem ad gubernationis clavum sedentes principes multis periculorum telis expositi sunt: ita etiam eodem anno detecta est nefaria quorundam pessimorum nebulonum in CHRISTIANVM conspiratio, qui cum venationibus, animi oblectandi gratia, indulgeret, quidam emissarius sclopeto instructus, *Glaſey Nucl.* *Hift. p. 362.* vitae principis infidias struxit, loco quodam, prope Haynam Comitum aspero et sylvestri ad diem III. Aprilis, dubia adhuc luce, sed ictus eius aberrauit, et homo iste in manus insequentium pervenit. Huius corpus non ita multo post candente ferro contusum, inque partes quatuor dissectum, suspensis ad quatuor viarum plagas partibus: alter sicarius, qui cum hoc fuerat, ignitis forcipibus prius laceratus rotae impositus fuit. Quaectionibus subiecti ambo sceleratissimi nebulones confessi sunt, se se pecunia corruptos, ad hoe facinus exercrandum accessisse, quod tamen Deus, ne in effectum produceretur, prohibuisset. Sic verum manet, quod vates diuinus Daniel, confirmat: *Principibus piis coelitus demissi sunt angeli, custodientes arborem, sub qua Ecclesia quietem, ciues umbram, et fructum capiunt.*

Praefulatus Misnensis, quae ingenua olim appellata fuit gubernatio, Electori nostro iam nono aetatis anno, nempe anno 1592. concessus, summa omnium voluntate et applausu. Merseburgensis praefulatus Administrator IO. GEORGIVS, frater, constitutus, et AVGVSTO, natu minori, Cizenensis et Naumburgensis ditionis gubernatio delata est.

Pridie Nonas Martii, anno 1604. conueniunt Elector, CHRISTIANVS et IOACHIMVS FRIDERICVS, Brandenburgicus, Iuterbogi, de maximi rebus momenti fraterne deliberaturi. Reversus Dresden Elector Saxon in febrim incidit, tertio quoque die recurrentem, cum ante id tempus vix villa corporis aegritudine  
B  
fuisse

fuisset tentatus, haud sine euidenti curae et protectionis diuinae documento. Quod memori mente reputans, ad sobriam viuendi rationem se recepit, quamvis *Daniel Eremita*, Florentinus ille, multis calumniis, in libro, de vita aulica, et itinerario Germanico eum proscindere ausus fit, quem vero *Tenzelius* solide refutauit.

*In Numism.  
Sax. Alb.  
lin. p. 351.*

Anno 1605. iterum conuenire iussi sunt Torgae Ordines Saxoniae, Iulio mense, in quo conuentu, multa in deliberationem venerunt, quae ad rerum ciuilium, et praecipue Ecclesiasticarum, emendationem pertinebant.

Anno subfiguiente 1606. Comitatum Hennebergicum hic Elector obtinuit, vbi contractam cum Electore Moguntino prius amicitiam confirmauit, qui comitatus multis rebus necessariis abundat. In GEORGIO ERNESTO prosapia horum Comitum defecerat, qui anno 1583. mortuus est, nulla prole mascula relicta.

Nullo tempore hic CHRISTIANVS, laude dignus, ad doctrinae sacrae, et religionis mutationem, procluus fuit, vti malevoli produnt, quin potius in verbo Christi salutari fides eius fundata, et corroborata fuit, postquam a D. Polycarpo Lysero fideliter imbutus eius animus fuit.

*Glaesey Nucl.  
360.*

*Muller An-  
nal. S. p. 246.*

Acres anno 1611. de Iuliacensi, Cliuensi et Montium, Ducibus, Electori controuersiae mouentur, quae cum in flamمام erumpere viderentur, admisis moderatis consiliis, Interbogi, non sine bonorum omnium laetitia, compositae sunt 1612. Titulos harum ditionum, quamvis non ditiones ipsas, Saxones adhuc gerunt, quibus tamen, Caesaris Romani donatione, et confirmatione post obitum Ioh. Guilielmi, Ducas, dicatae erant, et sic pro ciuibus possessoribus adhuc reputantur, quod Mullerus in Annalibus Saxoniae confirmat. p. 254.

Non ita multo post morbus hunc Principem ad diem XXIII. Junii subito inuadens, primo affultu corporis vires ita labefecit, vt sublato linguae, et pedum, vfu, effedo in palantium deportandus esset. Cum enim equestri certamine, quod hastilidium vocant, se oblectasset, et in aedibus Sigismundi a Berbisdorf primo coenae aditu, frigidam cereuifiam audiens haufisset, statim infirmae valetudinis, et male affectae, insultum sensit. Audita noctis decima, cum ultra quatuor horas non decubuisse, ob subitaneam neruorum resolutionem, quam apoplexiā vocant, serenissima Coniuge, Augusto filio, multisque aulae proceribus, iisque, qui a cura animi,

et

et corporis fuerunt, praesentibus, Seruatori CHRISTO animam reddidit, et e viuis eruptus est, cum annos XXVII, menses IX vixisset, et Electoratu X. annos prae fuisset. Ingens omnium bonorum luctus inde ortus est, et tota aula in summa tristitia versata, Principem optimum, in summo aetatis flore, diem obiisse supremum. Qui licet grandem aetatem non attigerit, tamen vel hoc nomine senibus est accensendus, eo, quod in ipso, adhuc iuuenie, in rebus sacris, et ciuilibus canus et sapiens intellectus eluxit. Exuiae in templum, arci contiguum, delatae, populo spectandae exhibitae sunt. Seruatae in templo ad quartum diem Augusti, ex quo postridie Freybergam deportatae, et in maiorum tumulis conditae sunt. Sarcophago haec verba sunt inscripta: *Christianus II. Dux Saxonie, Iuliaci, Cliviae, Montium, sacri Romani Imperii Archimarschallus, et Elector, Princeps animi iuxta et corporis, dotibus insignis, prudens, fortis, beneficus, pietate in Deum, constanti fide in Caesarem, amore in patriam, aequitate et clementia in subditos, nulli maiorum suorum secundus, grauis nemini, iucundus omnibus, bello Iuliateri sine caede et sanguine sopito, in complexu suauissimae et laudatissimae Coniugis, maximum sui desiderium relinquens, pie in Christo obdormiuit XXIII. Junii, hora X. pomeridiana anno MDCXI. postquam vixisset annos XXVII. menses IX. et regnasset annos IX.*

*Mulleri Annal. p. 261.*

*Ienisi Narr. de Christ. II. p. 113.*

HEDWIGI, serenissimae coniugi dotali tempestive iussit describi, praefecturas nempe quasdam, cum splendidissima arce Lichtenburgica, qui locus amoenus, et fertili agro, paucis, nemoribus, feris, fluviis piscolosis, est abundans, vbi demum anno 1641. sexagenaria beata defuncta est, nulla relicta prole. Symbolum eius fuit: *Ehre und Hoheit habe ich von Gott.*

Post *Christiani* mortem rerum Saxoniarum gubernationem IO. GEORGIVS, frater, non sine gudio ciuium capessiuit. De virtutibus defuncti CHRISTIANI II. multa, eaque memoratu dignissima, apponere possemus, nisi temporis angustia prohiberet.

Quae in hoc argumento adhuc restant, commemorabunt iuvenes, sequentes bonaे spei, et indolis, oratores, orationibus omni studio, auspicio nostro, elaboratis, in Confessu virorum amplissimorum:

IO. CHRISTIANVS WOLFIUS, Gamigenis Misnicus, praematuram mortem CHRISTIANI II. Electoris Saxon. deplorabit, oratione Latina profaica.

B 2

GEOR-

Ko 3194 Ork

**GEORGIVS HENRICVS BRÜCKNERVS**, Herzbergen-  
fis, CHRISTIANVM II. contra calumnias Danielis Ere-  
mitae, illius Florentini, defendet, sermone Latino.

**GOTTLOB FERDINANDVS SIGISMUNDVS HO-**  
**MILIVS**, Graefenheynen sis Saxo, ANNAM, AVGVS-  
TII. Elect. Sax. coniugem, ob virtutes egregias, et merita  
in patriam, laudabit, oratione Latina soluta.

**CHRISTIANVS GOTTHELF MOEBIUS**, Leisnicens-  
fis, SOPHIAE, CHRIST. I. Coniugis, pietatem, et cu-  
ram educationis Serenissimorum filiorum, praedicabit, ora-  
tione Germanica.

**CHRISTIANVS FRIDERICVS BVCERVS**, Geithay-  
nen sis: quod praepotens ille Deus, incendium, nocte con-  
cubia, XXVIII. Aprilis, a. c. Grima ortum, et scholae il-  
lustri proximum, pro sua diuina cura et benignitate auerterit,  
oratione Latina, demonstrabit.

**SAMVEL SCHMIDIVS**, Kripphaynensis Misnicus, serenif-  
simi AVGUSTI III. Regis Poloniae, et Pr. El. Saxoniae  
patris patriae, et Nutritoris nostri munificentissimi, amore  
pacis, Carmine epico decantabit.

Quos iuuenes sex, eloquentiae studiosos, ut omnes Musarum Pa-  
tronii et Fautores beneuole audiant, omni obseruantia rogamus,  
sicut ipsis, Kalendis Septembr. huius anni audire, non detrectarunt:

**SAMVELEM DOROTHEVM BONITIVM**, Lichten-  
steinensem Schoenburgicum, qui de meritis AVGUSTI  
II. Regis Pol. et Elect. Saxonie beate defuncti, in scholam  
prouincialem Grimensem, Carmine elegiaco cecinit, adiecta  
valedictione, et

**IO. GVLIELMV M LINDNERVM**, Liebenwerdensem  
Saxonem, qui AVGUSTI III. Regis Pol. et El. Saxon.  
patris patriae indulgentissimi gratiae et benignitatis documen-  
ta in hanc scholam, Carmine Germanico illustravit, adiecto pio  
voto et gratulatione ad Bonitum, abiturum et ipse simul scho-  
lae valedixit. P P. d. XVIII. Kal. Octobr. 1756.




**ULB Halle**  
008 307 075

3



W18





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Inches

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

AD  
**ORATORIVM**  
IPSO  
**LLVSTRIS GRIMANAE**  
DIE XVIII KAL. OCTOBR.  
R. S. CIC 1996  
S SACRIS MATVTINIS  
VDITORIO MAIORE  
ENIBVS ORATORIBVS  
STIT VENDVM  
AR EST HVMANITATE  
INVITAT  
DE  
CVRAE ET PROTECTIO.  
OCVMENTIS ERGA CHRISTIA.  
R. ELECTOREM SAXONIAE  
PRAEFATVS  
**AVGVSTVS SCHVMACHERVS**  
RIS MOLDANI RECTOR.  
IPSIAE  
S BREITKOPFIANIS  
XXIII.

